

Oratio funebris in obitum  
illustrissimi  
excellētissimique domini  
Dn. Jacob...

Schefferus, Johannes,

*1 Mdb Fol. Br. De la Gardie, Jakob*



Handwritten notes in the top right corner, including "Fol. 120", "L. 120", and "F. 120 (P. 120)".

ORATIO FUNEBRIS  
in obitum

*Illustrissimi Excellentissimique Domini*

**Dn. JACOBI PONTI  
DE LA GARDIE**

**Comitis in Ceföo / Baronis in Ekhälmen /**

**Domini in Kälka / Ryda / Runsa &c. &c.**

dicta

In Academia Upsaliensi

à

JOANNE SCHEFFERO

U P S A L I Æ

---

Excudit JOHANNES PAULI  
Academiae Typographus M. DC. LII.



ON THE 10th FEBRUARY

1850

TO THE  
HONORABLE  
MEMBERS OF THE  
COUNCIL OF THE  
SOUTH AFRICAN  
COMPANY

FROM  
THE  
MANAGER

OF THE

LANDS AND  
MINES  
DEPARTMENT





*Magnifice Domine Rector, Generosissimi Nobilissimique Barones, Filijque Senatorum Regni, plurimum Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi Facultatum, bonarumque Artium Professores, Vosque cæteri genere, ingenio, industria præstantissimi Auditores.*



Amplissima virtutum decora cœleste Numen terris hisce, ac humani generis necessitatibus, in usus longiores brevioresque suo arbitratu indulgere, sicut alia non pauca, sic nulla evidentius, quam æstatis nuperæ demonstraverunt tempora, quibus grassante per clarissimæ fortunæ domos inusitata quadam fatorum licentia, viros diversis in hoc Regnum meritis illustrissimos haud pauciores septem è conspectu nostro sensibus sublatos. Neque expiari potuit hoc acerbissimo virtutis tantæ casu, quod forte secius statui Reipublicæ imminabat, nisi denique illius magnitudinem Vir Illustrissimus Excellentissimusque, Dominus IACOBUS PONTI DE LA GARDIE, cuius nomen nullos titulos admittit, quia omnes supergreditur, discessu suo vel auget, vel absolueret. Quo quantum luctus publicus, etiamsi non parum firmatis ex reliqua felicitate temporum adversus mollitiem animis, eruperit, dici breviter haud potest. Versabatur in memoria civium, ipsisque adhuc prope oculis claritudo viri, inter Regni Proceres eminentissimi. Numerabantur illustrissima in Patriam merita, quibus per annos plus quam quinquaginta salutem publicam vel firmavit, vel amplificavit. Videbaturque cito, si non sibi, exhausto per labores juventutis, ac senectæ ægritudines corpore, cito tamen Reipublicæ desissee vivere, quem vivum, etiam nomine solo, ad terrorem hostium, suorum gloriam decusque, prodesse posse constabat. Unicum supererat jacturæ solatium ex relicto vitæ virtutumque illustrissimo exemplo, ad quod pridem & composuisse, & adhuc componere se generosa patriæ pectora, documentis haud obscuris nemo non intelligebat. Quorum fiducia conversi à reputatione damni meditationeque remedij civium animi, ad supremum defuncto præstandum officium curas omnes adhibebant, atque cogitationes. Earum summam dum hac die, funus humeris quibusdam subeuntibus, cæteris mœstitia decenti deducuntibus, per supremam operis

ipfius pietatem vel oftendunt, vel abfolvunt; placuit interim Academia noftræ, abfentia iufta non in fpeciofum ignavia abuti prætextum, fed iudicium de magnorum in patria virorum virtutibus, affectumque erga illuftriffimam defuncti familiam parentatione publica conteftari. Quod ejus propositum ficuti honeftum piumque efle neminem infitias iturum autumamus, ita propositi executionem ob merita tanti viri difficillimam, optandum fane fuerat, alterius alicujus eloquentiæ, non meæ infantia, fuiſſe demandatã. Ego enim, Auditores, ita cenſeo, cum fit haud facilis in univerfum omnium virtutum ſolida æſtimatio, non parum, quibus Noſter claruit, efle difficiliorem. Fit enim nescio quo pacto, ut ſuperficiario ipſarum excœcati ſplendore, ad ea ferme caligemus, quæ præcipuam merentur admirationem: eaque ipſas æſtimemus parte, qua nesciri potius defiderant, quam commendari. Prælia enim, & conflictus, & vulnera, & cædes, ad quarum rerum vulgo etiam vocabula obſtupescimus, non utique oftentant ipſæ, natæ non fic ad corruptionem, ut cuſtodiam & conſervationem ejus vinculi, quo per univerſum cohæremus; verum animum præſentem in adverſitatibus, invictum in periculis, nulli labori, nullis moleſtiis ſuccumbentem; cuius veram magnitudinem ſolide perfecteque nemo, niſi animo æquali, æſtimare poteſt. Nam quemadmodum egregie extructum ædificium admirari omnes ſolemus, commendare vero, ut mereatur, præter architectum nemo, veluti qui ſolus membra ſingula, & ex ijs operis totius convenientem habitudinem erudito oculo examinat: ita bellicæ virtutis luce clariffima omnium quidem feriuntur animi, decore vero intimo, veraque magnitudine ſolius ejus, qui conſiliorum omnium in ea ex conditione temporum perplexitatem, ex propositi magnitudine difficultatem, ex eventuum ſucceſſu dexteritatem examinare accuratius, intelligere penitus, id eſt, totam intus, extra, penetrare ac complecti poteſt. A qua facultate quantum abſint vires noſtræ, nemo forte melius, quam nos ipſi intelligimus. Verum enimvero cum parendum ſit eorum voluntati, quorum autoritate defendi poteſt noſtra imbecilitas, conandum aliquid, etiam ſupra vires, ne, quemadmodum ſucceſſus, ita animus voluntasque deefſe nobis videatur. Quæ ad hoc negotium aſferimus tanto ampliore ſubnixa fiducia, quanto radiantibus ſuo lumine ingentium in defuncto noſtro virtutum meritis certiores ſumus, præter ſimplicem eorum candidamque enumerationem, nihil majus hic requiri. Quid enim illuſtrius, quid magnificentius quantumcunque artis ingenium, quantacunque ipſius etiam Eloquentiæ facul-

facultas diceret, quam **IACOBUM DE LA GARDIE** fuisse Virum, cujus consilio manuque Svecia domi, foris, adversus quovis fortunæ insultus fortissime defensa, pulcherrime amplificata est? Quicquid comeret verbis, quicquid illuminaret figuris, quicquid amplificaret sententiis, in hoc tandem acquiescere necesse esset. Hoc animi ea magnitudo, qua difficillima sæpe negocia Noster est complexus, illud robur armorum, ea fiducia, qua mentis generosæ cogitata omni tempore feliciter est executus, illa latitudo exempli, qua quicquid est in patria spirituum magnorum, ad virtutis veræ flagrantissimum amorem traxit, propositum habuerunt. Scilicet non ignoravit ex tot curæ Divinæ singulis fere diebus occurrentibus testimonijs, se non pingui ocio, sed ad clarissimos labores, non commodi privati causa, sed salutis gloriæque publicæ, à coelis ipsis destinari. qui coelestis ejus curæ etiam in ipso ortu non obscura signa habuit. Sive enim vires Matris enitentis, parum, ut in tenero delicatoq; corpore, valentes, sive certum & perpetuum de magnorum in Republica virorum periculosis originibus decretum omnia in partu facerent difficillima, vel per mortem parientis vitam consecutus est. Neque hoc suffecerat vel ad vim decreti, quod prædiximus, vel divinæ curæ certitudinem. Patrem etiam, ac ne simplici quidem morte, verum acerbissima luctuosissimaque, in aquis, nondum biennium egressus amittere cogebatur. Ita dum parentes, præter patriam Regemque, nescit, totus in illorum venerationem vertitur; dum nullam cernit superesse sibi spem nisi in Deo, propriaq; virtute, sequi eam animo erecto meditatur. Quod sublimis integrique animi propositum, velut sol stricturis radiorum orbi lumen suum, ita ipse pulcherrimis præludijs **JOHANNI** Regi, perito talium æstimatori, mox in prima pueritia probavit. Mervitque eo nomine iam tum versari in conspectu Principis, suamque fidem devoto obsequio per lætissime succrescentium virtutum rudimenta contestari. Placebat interim mutabili Fortunæ novos ludos facere, ac cujus agitaverat non profecto leviter pueritiam, casu alio robur adolescentiæ exercere. Nec enim livorem dixerim aut indignationem, quo nil est effectum, quam ut illustrior quotidie, & melior, & ad casus quosvis paratior existeret. Regem ergo, & regem nutricium, & velut alterum Parentem ei eripit, quo nil eo tempore periculosius accidere ætati ejus potuit. Verum & hic obviavit casuum imminentium periculis providentia coelestis, Nostrumque, dum non aliàs meditatur lætiora, quam quando omnia tristissima videntur, commode è Svecia in Livoniam educit. Vidit eo tempore Re-

B

valia

valia adolescentem integerrimum sub disciplina Blaursi Centurionis, viri comitate severa & adstricta indulgentia mixti beneque compositi felicissime crescentem, meditantemque ea, quibus olim ad fortunam, in quam alebatur, instructum esse, necessarium apparebat. Cura ejus post Divinæ Majestatis cultum, ex illorum ratione temporum, usuque patriæ præcipua in armis fuit. Quæ non more seculi ad vanam ostentationem artis, aut contentionum ac injuriæ licentiam, sed majorem in expediendis publicis securitatem, indeque fiduciam, exitiumque hostium tractavit. Equis generosis maxime delectabatur, quos suis discriminare notis à deterioribus posse, regere arte, & modo in cursum admittere, modo flectere in orbem, mox sublimes in aerem concitare gaudebat. Accedebant pugnæ ludicræ, interdum cum hasta, interdum cum gladio; in quibus saltu facili jactare huc illucque corpus, sæpe procurrere, quandoque retro ire, frequentius petere adversarium, semper tela ejus provisione cauta evitare advescebat. Quibus cunctis quia viri ad omnia habilis, si ve generositatem spectes indolis propositique, si ve corporis ac membrorum rectitudinem & decus, indicia non obscura dabat, à clarissimæ memoriæ Rege CAROLO primum gladij usurpandi jure, mox & titulo Tribuni militum donatus est. Quem ipse titulum non ad otium magnificum, uti amat subnixæ opibus majorum, gloriæque, & exinde prona in luxuriam juvenus, sed utilitatem patriæ convertit. Testis est Volmaria Livoniæ, quam necdum viginti annos natus cum Carolo Gyldenhielmo acerrime adversus vim hostilem per non paucos menses defendisse, ne Poloni quidem ipsi, parum alias benigni Svecicæ virtutis judices, dissententur. Equidem haud secutum propositi successum, quis negare ausit? quando ne hoc quidem diffiteri quemquam posse scimus, quod sit coeca, præcipue in bello, Fortuna, qua, ut obscuretur aliquando vera magnitudo, nunquam ita circumagitur, ut non ibi maxime triumphet, ubi minime putatur. Abstractus ergo noster, exigentibus sic fati publici eo, unde paulo post, verum melioribus auspicijs, illustriorem ad materiam virtutis atque gloriæ repetebatur. Nam post quatriennij captivitatem in priorem libertatem restitutus, velut recolenda esset virtus, cui tanti temporis otium vel oblivionis situm, vel langvoris labem induxerat, priusquam Patriæ offerret, peregre proficisci meditatur. Non alius ea tempestate populus vel suscepti belli magnitudine, vel rerum militarium scientia, vel industria exequendi propositi, vel disciplinæ accurata observatione, vel operum varietate, arte, ingenio, celebratior per Europam erat, populo

populo Belgarum. Quod prudenter speculatus Noster, eo sibi iter instituendum existimavit, ubi, non voluptatis plurimum licentiæque (adeo non supra modo, sed & contra seculum sapere consueverat) verum disciplinæ plurimum rectique moris, artisque patriæ olim profuturæ exerceretur. Ergo ibi triennio fere, quicquid felicia gentis ejus temporumque ingenia in metandis castris, in muniendis oppidis, in universo apparatu militari, vel ad elegantiam artis, vel perfectionem excogitata invenerant, non in chartis circino & regula, sed, quod esse solet efficacius, in campo, inter ipsa machinarum fulmina fragoresque edoctus, retulit in patriam, maxima suorum cum utilitate. Ornabat interim Fortuna campum, in quo virtus Nostri magnis occasionibus instincta, in oculis nescio Septentrionis dicam, an totius orbis, laudabili progressu exultaret. Quo enim non pertinuit fama ejus belli, quod illa tempestate Polonia, dum vicinæ prædæ inhiat, occasioneque restituendi nescio cujus Demetrii, sceleratis artibus Societatis ejus, quæ religionem pietatemque summam, ne quis dubitet, etiam vocabulo professa, privatim nihil, præter maximorum imperiorum inter se commissiones, cædes, incendia meditatur, in similitudinem veri Demetrii pulchre ornati strenue abutitur, Moschoviæ per nefas summum intulit? Erat ejus belli vis, sive ob virtutem Polonorum, sive ob ignaviam Moschorum tanta, ut amplissimi alias imperij fata à sola externæ fortitudinis spe fiduciaque penderent. Nec quærenda diu fuit, tam propinquis Svecis, quorum robur pridem, per secunda, per adversa Moschi exploraverant. Itaque ad hos conversæ preces; ad hos quasi ultima morientis libertatis dignitatisque Moschoviticæ suspiria delata. Habebat eo tempore pulcherrimam occasionem ulciscendi tot injurias, quot à Moschis olim pertulit, si ex nova sapiendi audacia, quam politicam scelerati homines appellant, injurias injurijs referre, Svecia fas censuisset. Verum illa tenax veteris, id est, recti moris, huic supilitati pietatem opponebat, quodque interfuit exemplo omnium imperiorum, Fata Moschovitica per scelus aliorum, suamque ignaviam everti neutiaquam permittere volebat. Apparuit interea ejusmodi hoc negotium, cui perficiendo quicquid vel humana ratio consilij, vel fortitudo promptitudinis haberet efficaciamque,tribuendum foret. Cum & exercitus domestici propioribus negocijs occupati, & bellum longius à patria gerendum, & hostes præter consuetudinem

dinem armorum , etiam auxiliorum copia & vicinitate fortes , socij interim mutabiles , incertumque quamdiu socij, incerta omnia & periculosa, & insuperabilia prope facerent. Scilicet sic Deus immortalis amat illustrare virtutem, quam amplissimis in hac terra negocijs destinavit. Quicquid existere vel ex perplexitate rei obscurū, vel ex indigentia remedij infirmum , vel ex magnitudine periculi metuendum potest, id in cumulum tali tempore conjicitur , ut eluctante ea per tot adversa constet , Deum esse , cujus gubernetur consilio, conservetur industria , attollatur decreto. Quemadmodum clarissime ostendit JACOBI DE LA GARDIE virtus à supremo Nomine in omnem consiliorum , providentiæ, promptitudinis , fiduciæ efficaciam amplissime instructa. Hæc erat, quæ coelorum suffragio electa , occupari divinis operibus in terris, restituere magnorum imperiorum fata , amplificare gloriam potentiamque , reddere pacem & concordiam debebat. Hæc erat , quæ beneficijs devincto Moscho , victorijs coercito Polono , viam veluti munitura erat ad id decus , quod deinde Svecia sub incomparabili GUSTAVO suo ex Germania cum stupore orbis universi acquisivit. Nec enim simpliciter , & ex se censendum arbitror id bellum , cujus eventu felici effectum, ut domi , quoniam in limite , quietis omnibus , Rex summus majore confidentia apud externos pugnaret. Igitur ea nostri virtus , data in subsidium à Rege CAROLO Moschoviæ , nil reperit intricatum , quod non exsolueret, nil arduum , quod non evinceret, nil molestum, quod non superaret, nil periculosum, quod non felicissime conficeret. Apparuit hoc primum , cum ex summi ducis munere, quod ejus fidei dicti Regis indulgentia crediderat , exercitum colligeret. Non ea militum per ingentia precia prolixasque pollicitationes tarda molestaque fuit coactio , sed ad nomen famamque ducis ultro concurrebatur. Quicquid Europeus orbis alit Martiarum gentium , quicquid elocare sub mercede virtutem suam necessitatibus aliorum suevit, Germani , Galli , Scoti , nomina certatim dabant. Nec ipse nominibus contentus , numero , sed arte certare cum hoste decreverat. Igitur edocti observare ordines , sequi signa , imperiora ducum audire. Concedere in manipulos , densare jurga vel extenuare , mutare aciem , & modo in cornua se dividere , modo stipare in cuneum , modo in orbem flectere, inque terra amica hostem & prælia meditari. Sic quem virtute nondum erant adorti, exercitatione jam ac disciplina superaverant.

Qua

Qua qui non ante hostem superat, quam superat, eum certum est, ne deinde quidem superare posse. Exercitationi huic conjuncta fuit assuefactio laborum. Emensum (ne inania hic opera quis cogitet) quicquid est terrarum inter Sueciam Moschouiamque tempore brevissimo. Pugnatum cum saxis, montibus, syluis, quia hostis aberat. Solitudo ipsa passim, & in ea rerum omnium inopia, ne nihil ageretur, superata. Quis hoc crederet? præsertim de tyrone, nisi qui JACOBUM cogitaret, quem comitate, monitu, pollicitatione, quodque efficacissimum est, exemplo animasse fatigatos, confirmasse dubios, concitasse tardos, quoniam & ante fecit, nemo admirari potest. Sic durato militi exercitoque, non terrorem afferebat fama propinquantis hostis, verum spem animumque. Affuturos aliquando, quorum causa tot sustinuissent labores, tot pertulissent molestias. Affuturos, in quibus virtutis suæ dare documenta possent. Affuturos, quorum auro argentoque solari tanti temporis pænuriam valerent. Nemine de victoria sollicito, de qua spem certissimam vel solum ejus faciebat nomen, cujus ductum sequebantur. Sive hoc arcanum animi futura divinantis fuit præsagium, sive providentiæ coelestis efficax incitamentum, quo plerumque fit, ut nullo duce milites plus audeant, quam quo maxime per certitudinem lætissimi eventus possunt. Et profecto indidisse crediderim supremum Numen necio quos sensus nostris mentibus Divinitatis ejus, qua instruere ad felicem negotiorum expeditionem ministros suos in his terris solet. Inde illa sæpe ante ullius experimenti fidem, confidentia, illa sæpe sine ullis adminiculorum provisionibus spes summa: contra in adversa parte etiam in media rerum viriumque copia trepidatio, & turba, & nemine urgente fuga prorsus admirabilis. Cujusmodi ab hoste instituta, postquam adventare Nostrum fama differebat. Non eum multitudo sua, non munimenta urbium, non duorum prope annorum victoriæ morari poterant, quo minus famæ pariter ac virtutis pristinae desertor consternatione summa venientem tergo salutaret. Ita nomine celerius, quam ferro alii ac telis solent, vim hostilem Noster fregit. victor adversariorum, antequam vidisset. Ita Nertoburgum & Kexholmam arcem munitissimam à partibus fictitij Demetrii Basilio Iwanowiz Zufcki, veri Principis, obsequio restituit. Offerebanturque similes victoriæ ex Coporia, Iamma, aliisque circa arcibus, nisi præcipuo intentus operi perire id tempus

existimaret , quod negocijs tribueretur illis , quæ mox sine negocio sola Fama esset confectura. Quod inter præcipua summæ in Nostro prudentiæ documenta referendum. Nam examinare rerum gerendarum naturas , componere inter se magnitudines , ponderare necessitates , & ex eo capere consilia , vel differre , sicut est perplexum , multisque difficultatibus involutum , ita perfici à nemine , nisi rerum perito , multiplicique usu docto potest. Nimirum alij sic firmæ judicant , non qualia sunt pleraque , sed qualia ultro faciunt ; qualia per iram , spem , cupiditatem fingunt ; qualia per se , extra comparisonem aliorum fors videri possunt : nonnulli circa speciem negociorum occupati , cuncta citius , quam ipsa cernunt. At vero Noster longe fecius : cui non imponere externa , non subducere se interna , non futura in occulto esse , non præsentia infirmare iudicium , aut corrumpere , ac ne comparata quidem , quod præcipuam meretur admirationem , perplexitatem facere potuerunt. Ducti igitur exercitus eo , ubi vis & robur hostium , ipsaque belli sedes , compendio brevissimo amplissimis negocijs exitum quemcunque denique , ac finem demonstrabant. Ejecta passim hostium præsidia , occupata præcipua munimenta , victi fortissimi exercitus , ne quis de virtute dubitet. Cujus sicut postea sæpissime , sic ab initio ad Stararustam documentum Noster edidit pulcherrimum. cum velut ominis auspicique causa mille quadringentorumque Polonorum , Polonorum dico , Martis ante filios se reputantium , cum , duce Charasinski cædem vel fugam , paucissimorum ac vix denum ex suis jactura conficeret , testimoniumque rei bene gestæ tormenta ænea septem , cum signis totidem militaribus , omnibusque impedimentis referret. Tribueret hoc quispiam Fortunæ , at ego ducis fortitudini prudentiæque , qua effectum , ut ad hoc exemplum etiam reliquæ absolverentur victoriæ , quarum fere nulla ultra decem vel duodecim gregariorum militum capitibus constitisse locupletissimos habemus testes. Ut jam tum collecto robore antiquo virtus Svecica ostendisse Polono videatur , qualibus ei cum viris , quoque eventu negotium mox esset futurum. Ac profecto magni facere ex illo tempore vim Sveciæ ac arma , seque superari posse , fuga passim , cæde , strage , id est haud ineptis argumentis , quotiens præsertim agitur cum pertinaci adversario , discebant. Nam & Sporaischi tria milla ad Torfioch profligata , & alia quinque millia ad Tuer conjecta in fugam , & selectæ Sapias copiæ deletæ & undi-

undique ingentia ab hoste spolia, dum circumspectio ducis pulcherrimas ubique occasiones invenit aut facit, promptitudo militum virtusque sequitur, relata, & quod caput rei dixerim, celerius prope armis, quam à me sermone relata sunt. Scilicet dum in antecessum omnia perpendit secum Noster, dum negotiorum summam, dum partium singulorum momenta examinat, dum causas felicium eventuum quærit invenitque, id est, consilio prudentiaque vincit, facillimum erat armis vincere; quæ non ista militis ferocia, ut plerique censent, non furiosa ista cædium libido, sed ratio, & animus propositi sui certus, redere efficacia & invicta possunt. Quem in coeptis omnibus, consilijs, operibus, ad stuporem hostium pariter & sociorum Noster habuit præsentem. Apparebat ubique industria, & alacritas, & fiducia, conjuncta cum sagacitate summa & calliditate. ex qua nascebatur illud robur prudentiæ, quod fortuitis omnibus in subsidium virtutis nullo non loco coelestis Natura feliciter opponit. Nihil cogitabat hostis, quod non conjectura felici provideret, nihil coeptabat, quod non dexteritate prompta flecteret, nihil proficiebat, quod non vafricie artificiosa eluderet. Ita ubique potestatis non alienæ, verum suæ, non tempus, non occasionem, ac ne spem quidem hosti relinquebat. Quæ ex adverso ipsi molienti cuncta serviebant. Sive dies, sive nox esset, sive campus, sive montes, sive æqua, sive iniqua, omnia in successum propositi accommodata. Fluvij, venti, elementa, ipsi denique hostes, si nihil aliud esset, consilia subministrare cogebantur. quibus sæpe facilius, semper autem efficacius quam proprijs oppugnantur. Quod Poloni ostenderunt, quos exultantes per inanem roboris fiduciam, & conceptas temere spoliolorum imagines, ex tam svavi somno tam pulcre interdum exitabat Noster, ut cum vita memoriam simul gaudiumque talium deponere cogerentur. Cujus rei testes præter tot ducum ex ijs fugas, tot tormenta capta, urbes integras arcesque munitissimas virtute summa vel defensas, vel occupatas habemus. Quarum Tuer prima fuit, diuturna olim obsidione, mox clade Polonorum celebris ac clara. Quam libertati Dominoque priori nihil, præter prudentiam virtutemque Nostri restituit. Qui, cum viris, equis, campum omnem, & infestis hastis cerneret horrere, post serias ad Deum preces, tantæ multitudini, solam paucitatem suam, sed exercitam, animumque imperterritum opposuit. Quem aspectu, horratu, alloquio, postquam communicasset suis, habiles ad omnia,

omnia , quæ spes metusue ostendebat , neque pares modo , sed superiores quoque fecerat. Concursum summis viribus utrinque, datus exceptusque impetus , eques , pedes , tela , hastæ , gladij , quicquid aut salutem affert bello , aut victoriam , adhibitum. Iisdem vestigiis insistere , nec cedere , sed vincere aut mori, victorique viam non aliter , quam per corpus dare , fas putabant. Nec confectum tamen negocium , interveniente pluvia , quasi non sufficeret ad testimonium virtutis absolutæ , diei unius exemplum , nec victoria , quæ in omnem Moschi regionem aditum apertura erat , uno prælio acquiri posset. Nisi verius id ideo quis factum dixerit , ne tum pugnans una Moschus suæ assignaret operæ , quod fiduciæ Svecorum debebatur. Cujus conjecturæ ne qua superesset occasio , summus Moschoviticæ militiæ præfectus Michael Scopin , diei sequentis prælium dissuadere Nostro conatur. Cui jam non magis adversus hostium ferociam telis atque ferro , quam mutationem sociorum robore ac constantia bellandum fuit. Miro profus certamine , quo agendi erant in victoriam , pro quibus vincebatur. Quanquam non hoc solo nomine laudandus Noster sit , qui ut nihil superesset quod pugnando non vicisset , suos ad postremum superare debuit. Quos perfidia sociorum pro sanguine , pro vita , quam saluti ipsorum tribuebant , rebus cunctis spoliatos , ac jam abitum molientes , primum comitate gravi , deinde præmiorum ampliorum ostentatione in obsequio retinuit. O magnum , ò invictum animum ! quem non robur hostium , non dubitatio , ac ne scelus quidem sociorum , non militis proprij tergiversatio , à pulcherrimi operis proposito amovere potuerunt. Quo animo si deinde Polonos superavit , eo minus mirum est , quo facilius , vincere iram hostium , quam indignationem tumultumque suorum. Atque hac virtute quidem , hoc animi robore , hac summa in desperatione media , non spe Nostri , sed fiducia , Tuer in libertatem pristinam asserta est. Quod ne ipse quidem Michael Scopin dissimulans , voce , amplexu , oculis postremum gaudio madentibus apud Nostrium , in conspectu & præsentia exercitus totius , summa cum Svecorum gloria , & JACOBI fama est testatus. Quam ille gloriam famamque meritis mox certioribus amplificavit , cum Columnizam , urbem munitissimam oppugnaret. Existimaverat hostis in obsidione illa præter stationes raras , & semivacua castella nihil esse , quod solutionem moraratur. Itaque cum decem atque octo millibus , primo impetu conatus Nostri

ever=

everfurus , advolat. Sed non ea JACOBI fecuritas imprudens ,  
cui uno simplici que aufu noceri poffet. Provilione folertiffima  
effecerat , ut non minus claufi obfelfi , quam exclufi hoftes ef-  
fent. Quos cum pudor temere fufceptæ rei per foffam vallum-  
que duplex caftorum vellet agere , virtus Svecica per jocum  
veluti ac ludum deturbavit. Stabant difpofita fuis locis ænea  
tormenta , quæ cum ignem largiter conceptum cum globorum  
ferreorum grandine in affultantes effudiffent , erumpendi No-  
ftro in confufos atque confternatos tempus ac occafionem præ-  
buerunt. Tum vero videres vagantem quaquaverfus hoftem ,  
mixtos equites peditesque , jactantes arma , quæ paulo ante in tu-  
telam fui , noftrarumque pernitiem attulerant. Nullum ibi  
ducis imperium , nulla vox centurionum audiebatur. Clamor fre-  
mitusque fugientium , instantium , vertentium campum omnem  
cœlosque adimpleverat. Feftinabant incomitata vexilla , deferti  
duces fine lege , five auctoritate. Inhærebat tergis fugientium  
Nofter. Micantes ubique gladij , & vulnera , & cædes. Do-  
nec nox fugientibus fecuritatem , JACOBO abactus hoftis ur-  
bem addixere. Nec ea urbis unius fuit occupatio. In ipfa Co-  
lumniza , quicquid longe lateque oppidorum , quicquid munita-  
rum arcium , obfelfum , expugnatum , captum eft. Non vi ,  
fed exemplo , quo quanto minore fumptu , minore militum cum  
periculo ac jactura , tanto gloria cum majore fama que res con-  
ficitur. Cur enim detrectarent imperium , fub quod vel invi-  
tos virtus Noftri , fuæque infirmitas trahebat ? Cur non occu-  
parent gratiam cum laude , quam mox ambituri erant cum de-  
decore ? Nifi forte tali tempore inter reputationem præfentium ,  
fperemque futurorum difficilis fatigare mentes dubitatio confuevit ,  
dum ut reluctari Fortunæ infanum , ita partes deferere nec tu-  
tum femper , nec honeftum fatis reputatur. Quam equidem  
dubitationem nulla res facilius exfolvit , quam iftiusmodi , qua-  
lis vere nofter extitit , Heroes. Qui à coelo tanta amabilitate  
inftituuntur , ut cum omnes in fuam traxerint venerationem , fo-  
cietatem vel accipere , vel ultro ambire quofuis cogant. Vnde  
fit , ut quæ alij minis ac terrore nequeunt , hi per gratiam ab-  
folvant. Qua cum Nofter paulo poft in partes fuas adduxiffet  
Wolgadam , Galizam , Romanowam , Mologam , Ribuam ,  
Surdaalem , Iaroflawam , Uglizam , Caffinam , regiones , op-  
pida , arcesque , non foffis tantum , moenijs , vallis , verum  
ipfis etiam vocabulis ac titulis ad terrorem armata munitaque ,

viam Fortuna patefecit ad id facinus , quo nec ipse patrare majus illo tempore ijsue locis , neque Svecia ad gloriam illustrius optare potuisse videntur. Quid enim quæso majus , quam à non paucis , sed fere innumeris ; non mollis aut effeminatæ , verum torvæ , asperæ , successuque rerum efferatæ gentis urbem per biennium obsessam , ac jam fere captam liberare ? Quid gloriosius quam Principem non minutum , sed clarissimum , cujus majores sæpe universæ Asiæ Europæque terrorem intulerunt , ex periculis ultimis , fame , incendio , desperatione , ipsa denique morte , vel , quod gravius est , servitute , in priorem dignitatem , potentiam , securitatem asserere ? Quæ à Nostro confecta , & , quod ipsa Veritas testetur , nemo tamen credat , quia credere nemo potest , sine clade , sine sanguine , sola adventantis fama confecta sunt. Quis , & quantus ille dies ? quo dux Rocinski centum mille , iterum repetendum est , centum mille armatorum post se trahens exercitum , pro sceptro , pro diademate regio , pro auro argentoque , quod spe avarissima præceperat , diris omnium execrationibus onustus , universæ urbi Moscovæ , ipsique Principi pulcherrimum spectaculum fuga sua præberet. Quis & quantus ille dies ? quo JACOBUS DE LA GARDIE , obsessis pro terrore confidentiam , pro fame copiam , pro captivitate libertatem ; Principi pro vinculis sceptrum coronamque , pro carcere solium , pro servitute sortem Regiam restitueret. Quo patriam incolis , incolas patriæ redderet , id est , ex Moschovia , quæ hucusque Polonorum , Cossacarum , Tartarorum præda fuit , Moschoviam reficeret. Equidem , si quod res est dicendum , nihil ante illum diem JACOBUS Noster egisse videtur. Collegit pulcherrimum exercitum : collegerunt & alij. Arte , disciplina , labore roboravit : roborarunt & alij. Prælijs multis , justisque aciebus vicit hostes : vicerunt & alij. Liberavit ab hostili metu urbes : liberarunt & alij. At quod spem , fiduciam , salutem , dignitatem , nomen Principis potestatemque , quam jam amiserat , tueri certe non poterat , Duci Magno Moschovitarum restituit , id proprium JACOBI Nostri est eritque. Legetur ergo , jamque legitur , in Annalibus à posteris quamdiu cura præteritorum virtutisque erit , JACOBI DE LA GARDIE , velut ante cetera sonantius grandiusque nomen ; cumque ipso vocabulo virum omni arte militari , omni robore fiduciaque animi instructissimum suggererit , in complementum laudis vel compendium RESTAURATORIS LIBERTATIS PUBLICÆ , FASTIGIIQUE PRIN-

PRINCIPALIS APUD MOSCHOS titulum subnectet. Nec in-  
videbit ei Patria hoc decus, quod non ita proprium ipsius, ut non  
magis hujus, cui pridem ipse cum virtute sua, cum vita spirituque  
consecravit. Qui à prima pueritia recte factorum conscientia  
contentus, ad se ministerium, ad Patriam Regemque Fortunam  
referre consuevit. Quam sive veterem acceperit, sive meruerit  
novam, non profecto alio facinore expressisset evidentius, quam  
quo diximus. Quippe cum inter Sveciæ decora solennia calamita-  
tes aliorum, reputare suas; libertatem non apud se magis, quam  
quoscunq; socios defendere; imperia suo sanguine periculoque à sæ-  
vitia & crudelitate invadentium redimere, dominisque justis resti-  
tuere, pridem orbis melior cum stupore vidit, atque celebra-  
vit. Quarum laudum titulos Moschovia, quamvis vicina, & mo-  
lesta sæpe, & non raro perfidia, ope tamen summa restituta  
vel absolvet, vel si ante absoluti sunt, supergredietur. In qua tot  
trophæa simul, quot olim à Livonibus, Polonis, Tartaris, Bulga-  
ris, ipsisque Turcis retulit, suo nomini decorique Svecia felicif-  
sime asseruit. Ut per fortunam suam, CAROLIQUE Regis maxi-  
mi auspicia, sic JACOBI DE LA GARDIE invictissima dextra,  
cujus vim unius tota tum Moschovia celebrabat. Illam manum  
cernere, illam contrectare, illam venerari osculis, præcipua in-  
ter vota, Fortunæque beneficia numerabatur. Dux Basilius ipse  
cernere illum vultum, contueri illud pectus, in quo tantum ro-  
boris, tantum prudentiæ artisque Natura benignissima, vel ipsius  
autor Deus collocasset, summo desiderio auebat. Et jam per  
lætantem ope sua urbem in conspectum ejus velut Triumphator  
ductus, ora puerorum, feminarum, senum, vias, aditus, li-  
mina, denique tecta ipsa obsidentium in se converterat. Velut  
alter ex machina Sospitator, alter Hercules ad securitatem gene-  
ris humani datus spectabatur. Atque ipse non in vanitatem for-  
tuna usus, modestia oris, constantia vultus, civilitate incessus cun-  
cta magis magisque commendabat. Nisi quod majestatis Regis  
sui gentisque, simul & muneris, quod gerebat, memor, ne in  
præsentia quidem Basilij, quod in ea gente publicis decretis cau-  
tum est, enssem ponere sustinuerit. Quod Moschorum dux ani-  
mi, generosissimi, ut erat, testimonium interpretatus, adeo non  
tulit ægre, ut ultro concesserit, quod nec ante, neque post con-  
cessum cuiquam, sive nova, sive vetera gentis ejus evoluamus,  
depræhendi potest. Et profecto, nihil humile aut vulgare in  
JACOBUM cadebat; omnia mascula, erecta, sublimia, rarissima,

&, nec cogitata alijs, nedum ausa depræhendebantur. Ut quocunque te verteres, ubique admirationis causas, & materiam invenires. Ne adversis quidem Viri exceptis, quæ ut aliorum fere gloriam affigunt, certe faciunt obscuram, ita ejus illustrarunt. Quem cum perfidia sociorum paulo post, nec beneficiorum memoriam, nec sanctitatem fœderum servantium, sed per nefas summum pro stipendio, quod pacti erant, verba numerantium, & scelus ultimum Conradi Link, mercenario haud ægre præmia apud hostes, & transfugium persuadentis, omni fere milite spoliasset, solum animi invicti robor adversus suos pariter ac hostes, ad victoriam quoque & triumphum exarmavit. Rebus desperatis animosior, nudatus copijs audacior, discriminibus vitæ summis implicatus, ac tantum non oppressus tutior securiorque. Quo quid quæso vel ad gestæ rei magnitudinem sublimius, vel ad admirationem virtutis laudemque gloriosius dici potest? Ibat cum ducentis admodum, quos origo nomenque à simili flagitio arcuerat, per mediam hostium multitudinem, generosæ instar feræ, quam etiam cum undique circumdata, etiam cum capta est, nemo aggredi, nemo vulnerare audeat. Ibat, soloque animo major, hosti, commeatu, stipendio, milite, victoria superiori dabat leges, quibus non securitati tantum suæ suorumque, sed & famæ honorique consulebat. Ibat cum armis, tympanis, vexillis, id est, ritu felicissime negocia conficientium, incertos dubiosque relinquens hostium animos, vicissentne, an victi essent ab eo, quem ne sic quidem vinci posse sentiebant. Et profecto victus non erat, cujus non consilia, non belli rationem, non gerendæ rei occasionem, non vim armaque superando interceperat hostis. Quare nec terror, nec confessio infirmitatis, sed amica quædam compositio, vel quidvis aliud, quam fuga, discessus iste appellandus erit. Debebat scilicet, debebat istiusmodi discessum fidi socij fati publicis ingratiissima Moschorum perfidia, quo dein effectum, ut securius cum exercitu novo grassante ipso Polonorum Rege, cæde sanguineque lueret neglectam sacramenti fidem. Quanquam hoc ad Nostrum aliter non pertineat, quam quatenus fortissima quæque pectora fortunæ publicæ circumactione rapi voluique intelligimus ex his similibusque ad ea, quæ ut foris minus forte habent splendoris, ita intus plena solidæ virtutis, admirationem maximam non merentur solum, sed ubique etiam, apud veros accuratosque rerum æstimatores impetrant inveniuntque. Nisi quod in Nostrum casu examinando, eo minor requiratur cura, quo interior ejus

virtus

virtus certioribus subinde sese argumentis prodidit atque manifestavit. E quibus cum jam ante videam neque tempus, neque institutum nostrum plura nunc permittere, id unum forte hic commemorari fas est, quod ad Neugardam datum. Cujus nunc ego urbis non amplitudinem regioni comparandam, non munimenta arcemque, ad tutelam omnium loco opportuno, naturaque munitissimo sitam, non incolarum copiam numerumque, exercitum quamvis amplissimum non æquantem, sed & superantem prolixè memorabo. Unum hoc solumque dicam, ad id tempus creditum, vulgarique verbo confirmatum, duo in hoc orbe insuperabilia existere, Deum & Neugardam. Hanc igitur Neugardam Nostram, urbem tam munitam, tam opinione sua invictam, trecentis admodum equitibus, exiguaque manu peditum, quam ex finibus adduxerat Eduardus Horn, adgreditur, oppugnat, capit, tanta arte, tanta festinatione, ut quam ab una parte scalis, machinis, tormentis operiebantur è longinquo adventantem Moschi, eum à parte alia superatis moenijs, in medio foro prosternentem cadentemque omnia, quia oculis vix poterant, capitibus tergisque suis credere cogebantur. Prodigij simile fuit, innumerabilem multitudinem à paucis, munitos à nudis, victores à victis vinci capique. Nisi quod sueta JACOBI DE LA GARDIE virtus ex adversis lætius animosiusque resurgere, indeque capere fiduciam, unde alij desperationem solent, nusquam fidem invenit facilius, quam ubi alijs pertinacissime negatur. Qua virtute cum semper inusitata, incredibilia effecerit, ad postremum hoc est consecutus, ut de vocando ex Svecia Imperatore, eligendoque in Regni Moschovitici Principatum Carolo Philippo, CAROLI Regis filio publice, & per legatos Moschi agerent; parumque abesset, quin Svecia Moschoviæ ut salutem veteris, sic dignitatem pietatemque novi Principis imputaret. Quæ omnia cum infinitis alijs, Historiarum conditoribus relinquendis, cum paulo propius inspiciuntur, facile ostendunt, aut neminem, aut Nostrum veri perfectique ducis numeros implevisse. Ad quos sive peritiam requiras artis, sive promptitudinem fiduciamque animi, sive gubernantem isthæc providentiam, eamque vel conjectando acutam, vel excogitando prosperam, vel agendo circumspectam, sive denique ex his omnibus proveniente apud hostes, apud socios, apud suos auctoritatem, sive isthæc omnia, nil eorum Nostrum defuit. Nam felicitatem haud exigeres in eo, qui alienis militans utilitatibus, qualemcunque tandem à Fato, sua lubidine

*Two o'clock  
twilight  
militia*

*le*

omnia volente impetravit Fortunam, ea in decus ac emolumentum patriæ Regisque sui utebatur. Hoc majore dignus admiratione, quo est difficilius, facere, quam sequi, & corrigere Fortunam, quam servare. Quid cetera commemorem? Pietatem in Martio homine, fidemque in ultimis etiam vitæ periculis perfidis socijs habitam? quid clementiam erga hostes? humanitatem erga milites? quid inexhaustam illam in prosperis, in adversis, laborum patientiam? Dies me citius, quam argumentum deficiet, si hæc omnia amplificare verbis, exornare sententijs velim debeamque. Sed non eam harum in Nostro virtutum putem esse conditionem, ut cujusquam industria ad commendationem sui opus habeat. Quemadmodum ad demonstrandum diem, lucernam utique non accendimus, ita nec in explicandis JACOBI DE LA GARDIE rebus gestis, virtutibus, meritis, ullis rhetorum inventis, ullis artis coloribus, ullis vocabulorum aut orationis luminibus necesse esse putamus. Suo cuncta lumine splendentia non exornationem exigunt à nobis, sed venerationem atque cultum. Cujus leges omnes impleverimus, si, quod hæcenus fecisse me, Auditores, ultro intelligitis, simplici ingenuaque commemoratione omnia revolvamus. Et jam accepistis omnia, quatenus ad pietatem ejus in patriam, obsequium in Reges, fidem in socios, magnitudinem in bello hic commemorari debent. Quibus si addatis, quæ in pace gessit, virum omni tempore Reipublicæ vere Magnum, vere admirabilem habebitis. Nisi fors quis putet talia in minore laude ponenda; quæ ex adverso cum res bellicas vel gubernent, vel confirment, vel denique perficiant & absolvant, plus commendationis promerere dixerim. Nam non tam superare hostem armis, quam superatum vincere ratione, prudentiaque in obsequium, in fidem trahere, bellumque bona pace terminare, viri est perfecti, quem non felicitas in superbiam, non ira indignatioque in crudelitatem, non cupido in avaritiam flectere aut stimulare potest. Quæ à Nostro cuncta summa diligentia perfecta, postquam adactam in GUSTAVI MAGNI, recens tum electi Regis nomen, totam Neugardæ provinciam, occupatamque Ladgam, Thephinam, Audovam, Coporiam, Iammam, Nætobürgum, Iwanogradam, foederi de pace inter populum utrumque nomine Regis præfuit. Habet equidem & alias, sive ex natura negocij, sive ex tractantium ingenio hæc res, non profecto parum difficultatis. Id quantum fuerit tum auctum, pro se quisque conjectare potest. Cogitate mihi enim, Auditores

tores, summam ejus populi, quocum res fuit, perfidiam; cogitate non soluta, quæ ex foedere debebantur, stipendia; desertam in ultimo discrimine societatem, spoliatam supellectilem militarem, interceptos cum literis ad Regem tabellarios. Cògitate populi ejusdem statum Reipublicæ turbatum, cæsos aut profligatos à Polonis exercitus, Principem novitium, nulla autoritate propria, dubia fide civium subnixum. Ex adverso cogitate Nostrum, valido jam milite instructum, auctum tot urbibus, tot captis ab hoste arcibus, quodque plurimum animos erigit, causa, & quæ inde provenit, Fortuna superiorem. Quis hic pacem vel per somnium videre potest? At has difficultates, quotquot sunt, superavit JACOBI DE LA GARDIE virtus. novoque genere victoriæ, quod unicum supererat, de perfidia hostium simul, ac de ira sua, de cupiditate, quæque ista facit, felicitate victoriæque triumphavit. O admirabilem, ô pulcherrimum triumphum! quo non in Capitolium, Romanæ sedem majestatis, sed in Mentem, tranquillitatis humanæ, magnitudinisque templum; ubi non ex argilla fictitius Jupiter, sed coelestis immortalisque naturæ Ratio habitat, deducebatur. Non jam quæne corona, ob servatos cives, verum aurea laudis immortalis ac præconij ob servatum animum decorandus. Quem non spe, non desperatione, non ira, non trepidatione, non cupidine, nulla denique earum rerum, quibus aliorum animi velut tempestatibus huc illucq; agitantur, è gradu suo dimoveri passus est. Et decorabatur omni genere honoris, ut à civibus, sic maxime GUSTAVO, Rege suo, quo nemo unquam fuit, qui virtutem solidam æstimare accuratius, remunerari religiosius consuevit. Qui post alia & titulum JACOBI, quo huc usque à majoribus per continuam plurimorum retro annorū seriem Baronum nomine apud Nostros, apud Gallos longe clarissimis accepto utebatur, in dignationem Comitum amplificavit. Cujus non fastu arrogantiq; super cæteros, verum cura in Rempublicam majore ac amore patriæ claritatem tuebatur. Quem amorem ne plus foris, quam domi, plus in vita, quam post mortem testaretur, capto ex Illustrissima Antiquissimaque Brahorum gente Matrimonio, præter filias forma pudicitiaque insignes aliquot, Filios non paucos, sicut nominis, sic virtutum Paternarum verissimos hæredes procreavit. Quorum ut ætate, ita meritis in Rempublicam clarissimis antecedit, quem, si non Parentes, Virtus ipsa, conjuncta cum Fortuna, mirabili consensu MAGNUM appellassent. In quo non jam reviviscit nomen Patris, verum viget, ac illustrius quotidie

efficitur. Tanta arte successuque, ut hoc lumen Sveciæ nemo apud Nostros, nemo apud Exteros non volens, quia merito, adoret. Verum non in ejus laudibus nunc immorandum est, quibus detrahi videtur, quicquid nunc, & in transcurso dicitur. Ad Patrem itaque revertimur, qui merita meritis accumulans, & ut olim præsentem Rege, absens, ita nunc absente præsentem, patriæque salutem administrans in omni laudis gloriæque humanæ fastigium agebatur. Quod tum consecutus est, cum post nunquam sine horrore memorandum Summi Regis obitum, Regni universi Fortunam cura summa, cum nonnullis paucis sustinens mox, majore fide integrum incorruptumque in sinum Principis Augustissimæ CHRISTINÆ, ubi felicissime requiescit, tradens cum mortalitate hac transegit. Victorque jam ac triumphator, non Kexholmam, non Neugardam, non Moschovam urbem, verum Hierusalem coelestem, ubi nullus hostis urget, nullæ struuntur insidiæ, nulla perfidia decipit; sed in securitate summa, fide, concordia, mentes beatissimæ quiescunt, est ingressus. Ubi non à quatuor Regibus, quod in terris hisce omnes laudum numeros absolvit, virtutis suæ ac prudentiæ, sed à DEO ipso, quæ virtutem istam gignunt, prudentiam dirigunt, pietatis fideique testimonium amplissimum consequitur. Ubi non cum annis, non cum morbis atque imbecillitate corporis, non cum tenebris aut cœcitate sua amplius luctatur, sed in luce clarissima, valens vigensque, quicquid hic incommodorum sensit, sine metu imminentium, secure obliviscitur. Dixi hætenus, Auditores, quæ ad aliquam notitiam eorum, quibus immortalitatem Noster meruit, pertinere visa sunt. Quæ si expolitione opus habere videbuntur, quia tanti negotio mea imbecillitas non sufficit, contentus pia eorundem veneratione, viribusque alterius palmam hanc ultro concedens, lubens meritoque acquiesco.

D I X I.

E P I C E D I U M  
I N  
E I U S D E M I L L U S T R I S S I M I H E R O I S  
O B I T U M.

**N**unc fuit ille ducum splendor ; quem plurima virtus  
Extulit : unde decus posteritatis erit.

Olim Sarmaticis ac Moschis hostibus horror  
GARDIUS , & Gothici gloria magna soli.

Hunc à morte patris juvenem celebrata per amplos  
Militia duxit cura laborque gradus.

Non expectatos præcurrit laudibus annos :  
Mens matura virum , non facit ipse dies.

Mandato CAROLI , quum Russis tempore duro

Optatam fausto sidere ferret opem ;  
Urbes hic populi præstantes liberat hoste ,  
Sarmatici solvit colla metuque jugi.

Poscit at auxiliij dum præmia pacta fidelis  
Pro Suedis , astus insidiasque refert.

Sed quod jurarat , quia frustra fallere quærit  
Numen , in authorem fraus redit ista suum.

Noster in ingratos inimica retorfit ut arma ,  
Edocet hos pacem sed sine fraude pati.

INGRIA mox regni titulis ut grata laborum  
Accedit merces , firmet ut illa fidem.

His sibi IACOBUS meritis virtuteque magnâ  
Ad magni cursum stravit honoris iter.

Quin comitem summis GUSTAVUS rebus adesse  
Vult , postquam nostris Sarmata bella ciet.

Nec segnis sequitur , rerum jam doctus ab usu ,  
In quo sors campi steteruatve pede.  
Quæ nulli cedit , cui cedunt omnia , virtus  
Regia non spernit tam sapiente frui.  
Nec minus ille togæ quam belli promptus ad artes ,  
Dum commissa sibi munera pace gerit.  
In medium patriæ bene consulit atque salutem  
REGINÆ , librans publica lance pari.  
Inde dedit nomen jam vivo fama perenne.  
Quod cimis haud multis post dare fata solet.  
Ad senium tandem præceps declivibus annis ,  
Non deflorescit vis animique vigor.  
Dumque acies visu paulatim deficit ipsum ,  
Ad vitæ finem mens oculata manet.  
Ast ubi præsentis vitæ meta appetit illi,  
Adflictæ vires , & male corpus habet.  
Hic fractas vires animo sustentat , & istum  
Spe cæli , morbos sic tolerare potest.  
Summum donec adest & ineluctabile fatum.  
Quas nulli , victas huic dedit ille manus.  
Occidit heu ! postquam vir tantus , Svedia certè  
Perdit in hoc uno millia plura duce.  
Sed bene , jam natos per laudes ire paternas.  
Hæredes virtus invenit illa suos.  
Quam , quotiens animos ipsius stringet imago,  
Reddere cum pulcro fœnore quisque volet.

E P I T A P H I U M.

HÎC. SITUS. EST. FRUITUR. QUONDAM. DUM.  
MUNERE. VITAE.

QUI. FUIT. ARMORUM. CONSILIQVE.  
POTENS.

QUOD. NOMEN. TITVLOS. ET. LAUDES. EX-  
PLEAT. UNUM.

JACOBUS. SITUS. HÎC. GARDIUS. ILLE.  
COMES.

IOHANNES LOCCENIUS.

EPITAPHIUM

HIC SITUS EST FRUITUS QUONDAM BONI

MUNERE VITAE

QUE FUIT ARMORUM CONSILIO

FORNIS

QUOD NOMEN TITLOS ET LAUDES

PERAT QUUM

LABORIS SITUS HIC GARDIUS HIC

COMES

JOHN WALKER